

scri in Germania, multosque alios operarios in vinea Domini per Europam, & maxime per Indias esse, ac fuisse distentos tantis laboribus ac curis, quantis illi Congregatores Quadragesimales, & tamen nec suo, nec aliorum iudicio fuisse exemptos a persolutione divini officii, unde iustissime ab Alexandro VII. die 24. Sept. 1665. fuit inter alias damnatas sequens propositio 21. in ordine: *Habens Capellaniam collatam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfaciat sua obligationi, si officium per alium recitet.*

Non adeo facile probantur Censoribus, quæ circa finem num. 24. n. 26. 27. & 28. confidenter à Lucio nostro afferuntur. Neque enim sufficiens esse videtur excusandi ab officii recitatione titulus legitimo oppositionum, dum plurimum interis homini se doctum præbere. Cavendum enim hic est, ne susceptum aut privatæ utilitatis causa, aut captandæ apud homines gloriolæ studium, causa sufficiens habeatur quæ à recitationis onere homines eximat; plus enim interest hominem ecclesiæ parere, obligationibus proprii status satisfacere, ac per ea, quæ ecclesiæ iudicio præscripta sint, ut apta media ad debirum proprii status perfectionem procurandam, ad hanc perfectionem tendere, quam se doctum ostendere, præsertim cum ostentatio hæc, aut vana gloria sit, aut inanis gloriolæ fomentum; quæ duæ res abesse omnino debent ab homine in Dei sortem vocato, Deoque consecrato. Ad Concionatores quod attinet; primum, non subsistit privilegium quod num. 27. decantatur: deinde etsi à Leandro, aliusque à Ferrario citatis, ut à recitatione excusentur, quibus felix saltem memoria concessa non sit; tamen novum hoc dispensationis genus, inquit Tournely continuator, nescierunt Apostolici viri, ut Franciscus Salesius, & Franciscus Xaverius, qui nunquam uti voluit licentiam sibi per Romanum Pontificem facta recitandi breviarium solito brevius; nesciunt etiam hodie qui Deum timent. Ex eo autem quod concionatorum quidam tardioris sint memoriæ, id unum sequitur eos ociosos, & diutius studium amplecti debere. Afferunt tamen casus, in quo possit aliquis studio officio præponere, puta si eras concionem habere debeas in die admodum solemnî, eamque sine notabili cum tui infamia, tum affluentis populi murmure, & scandalo omittere non possis, & ipsam ob gravia, quibus obrutus es, negotia, memoriæ mandare non poteris, nec mandaturus sis, si officium recites. Et is quidem casus satis est metaphysicus, cum vix concipi possit, quo pacto parum illud temporis, quod ad privatam officii lætionem sufficit, in concionis studio sit necessarium, ut aliqui concio memoriæ committi nequeat. Num. 28. dum excusatur ob metum gravem inter Hæreticos degentes, addendum est, modo occulte, vel memoriter nequeat recitare. Nam ita recitando cessat periculum; ex quo metus ille ortus statuitur.

In compendio privilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium verb. Officium divinum, tertio, Cappuccini Adnotatio lit. D. refert ut sequitur: *Frater Ordinis prædicationi verbi Dei, audientia Confessionum, & Sacræ Theologiæ, ac Sacrorum Canonum studiis insistentes ad suam, & animarum fidelium utilitatem, & qui occupantur infirmitate propria, aut infirmorum Fratrum curatione, satisfaciunt pro horis canonicis recitantes certum numerum psalmorum, per Priorem eis assignandum, numero non minus septem, aut sex cum devotione, aut Orationem Dominicam septies, & Symbolum Apostolorum bis, graviter autem ægrotantes Orationem Dominicam septies in die recitando septem horis canonicis similiter satisfaciunt. Ita concessum est à Clemente VII. Societati Clericorum Sancti Sylvestri & S. Andreae de Urbis, & aliis Theatini nuncupatorum, & refertur in compendio privilegiorum S. Hieronymi Hispan. collecto à Patre Garzia anno 1591. fol. 168. §. 70.*

A recitatione divini officii excusatur metus gravis, ut quando versantes inter Hæreticos, vel Infideles, seu per eorum loca transeuntes, ex recitatione horarum prudenter timent grave malum, seu notabile damnum in propriis, vel alienis bonis, puta iacturam vitæ, vel fortunarum: leges enim ecclesiasticæ non

obligant cum tanto periculo: *Communis.*

A recitatione divini officii excusatur legitima dispensatio, seu privilegium: *Communis.*

Privilegium, & legitima dispensationem non recitandi officium concedere potest omnibus etiam Beneficiatis Summus Pontifex: Gobat tom. 1. tract. 5. n. 729. Sporer loc. cit. num. 166. La Croix lib. 4. num. 1233. & Communis aliorum, arg. cap. Propositio 4. de concessione præbendæ.

Episcopus, quamvis per se iure ordinario nequeat talem concedere dispensationem, cum inferior nequeat per se loquendo relaxare legem superioris, c. Inferior 4. dist. 3. c. Cum inferior 16. de majorit. & obediens. & clem. Ne Romani, de election. Tamen ex consuetudine jam ubique recepta potest Episcopus ob rationabilem causam valide, & licite suis subditis dictam dispensationem ab brevis tempore concedere: Tamburin. lib. 2. decalog. c. 5. §. 8. n. 24. Sporer l. c. n. 167. La Croix l. c. Gobat l. c. & alii passim. Quam licentiam concedere posse etiam Vicarium Episcopi, tenent Gobat l. c. n. 714. & 729. La Croix l. c. & alii. Rationabilis autem, & iusta causa est, si dubitetur de morali impotentia recitandi: La Croix l. c. & alii passim.

Falsum est ex consuetudine ubique recepta Episcopos ab officio persolvendo dispensare homines solere, ac multo magis falsum est, posse id Vicarios generales, vel Regularium Superiores; satis enim nota nobis res est, pro huiusmodi dispensationibus ad solum Romanum Pontificem recurrendum esse, ac recurri solere; Romanum vero Pontificem Episcopi informationem exposcere, vel aliorum Superiorum, ut petitioni indulgeat. Nec Romani & Itali tantum Theologi ita sentiunt, sed etiam inter Gallos doctiores. Audiatur Cont. Tournely, qui laudat etiam Pontasium; Episcopi, inquit, ab officii recitatione dispensare non possunt; quia inferior in lege superioris non dispensat, nisi de ejusdem consensu: porro Ecclesiæ, Romanus Pontifex, nullibi legitur hujusce dispensationis facultatem Episcopis concessisse.

Falsum hic pronuntiat R. Theologus, ex consuetudine ubique recepta Episcopos ab officio persolvendo dispensare homines solere; ac multo magis falsum, posse id Vicarios generales, vel Regularium Superiores. Et tamen ultra citatos à me Auctores, id asserit etiam eruditissimus P. Antoine tract. de virt. Religion. c. 1. n. 4. ubi hoc habet: *Aliqui docent ex usu ubique recepto Episcopos & Superiores Ordinum posse dispensare cum suis subditis ad breve tempus, in dubio de morali impotentia recitandi; quibus ipse assentitur subdens: Et hoc videtur necessarium ad tollendas perplexitates & impediendum grave nocendum. At tunc Auctori Theologus noster satis superque fudit; ipsiusque theologiam moralem prout jacet cum dicta conclusione, tamquam suam jam bis Romæ typis tradidit.*

Superiores Regulares etiam locales dispensare possunt valide, & licite ob justam, & rationabilem causam cum suis subditis, *Communis.* Sic enim habent ex variis Apostolicis privilegiis, ut patet in compendio privilegiorum Fratrum Minorum verb. Officium divinum primo num. 10. & verb. Infirmi Fratres num. 6. 8. & sequent. & dictum est supra num. 16. & 17. & habetur etiam in compendiis privilegiorum aliorum Religionum.

Disparitas autem est inter dispensationem concessam à Papa, & dispensationem concessam ab aliis, quod dispensatio concessa à Papa sine causa sit valida, licet illicita; dispensatio autem concessa ab aliis sine causa, nec sit valida, nec licita: Henno tom. 1. tract. 11. in decalog. disput. 1. q. 3. art. 10. conclus. 1. & alii communiter.

Cum Summus Pontifex nolle sine causa dispensare sit præsumendus; hinc dispensatio à recitatione officii ab ipso sine causa obtrahenda, censenda est subreptitia; & per consequens nedum illicita, verum etiam invalida.

A recitatione officii excusatur etiam Beneficiatus, qui sine sua culpa privatur ad tempus notabile fructibus sui Beneficii; dummodo nec sit Religiosus Professus, nec Sacris initiatus; arg. cap. Quia 15. de re scriptis in 6. Cum enim ibi dicatur, quod propter officium datur Beneficium; sequitur, quod cessantibus, sine culpa Bene-

ficiarii, fructibus Beneficii, non teneatur Beneficiarius ad officium, cum cessante causa cesset effectus; cap. Cum cessante 60. de appellatione. Tum quia, si iustum est, ut ille, qui altari inservit, de altari vivat, ex cap. Cum secundum Apostolum 16. de præbendis; ita etiam iustum est, ut qui de altari non potest vivere, altari non teneatur inservire; Henno loc. cit. concl. 5. & alii passim.

Impeditur recitare officium statis horis, vel temporibus teneatur anticipare, vel postea supplere, quia præceptum de officio persolvendo non urget solum suis correspondentibus horis, sed incipit à media nocte antecedenti, seu consuetudine à vespere prædie, & substantialiter durat tota die usque ad mediam noctem sequentem, ut dictum est supra num. 9. & 10. Est enim unum præceptum totius diei, & accidentaliter tantum propter mysteria representata una hora obligat pro hac parte diei, & alia pro alia parte, utique non ad finiendam, sed potius ad augendam obligationem, cum transacta illa hora, adhuc perseveret substantialis obligatio pro tota die usque ad mediam noctem sequentem; *Communis.*

Hinc qui mane prævidet, se ob aliquod impedimentum sibi superventurum non posse suo tempore recitare horas pomeridianas, teneatur anticipare, & etiam mane eas solvere; sic jam communior, & sine dubio probabilior, & tutior sententia Doctorem cum Sporer loc. cit. num. 171. Bonacia de horis canonicis q. 6. propositio 2. num. 2. & alii plurimi apud ipsum Gobat loc. cit. num. 711. Less. Sanchez, Tamburin. Diana, Suarez, Azor. & alii apud Sporer loc. cit. Item qui ob aliquod impedimentum non potuit officium recitare suis propriis horis, & temporibus, teneatur postea recitare intra eamdem diem; si enim, v. g. non potuit recitare ante meridiem matutinum, & laudes, ac horas minores, teneatur postea recitare quacunque hora poterit ante mediam noctem; *Communis.*

Qui ob aliquod impedimentum non potest recitare totum officium, potest autem partem, teneatur ad illam; *Communis, argum. cit. propositio. 54. ex damnatis ab Innoc. XI. adducta supra n. 3. Vide ibi.*

Qui pro seipsum non potest ex justa causa recitare officium divinum, non teneatur illud recitare per alium; *Communis.* Nullo enim iure constat talis obligatio recitandi per alium; tum quia obligatio recitandi officium est personalis, cui proinde per alium satisfieri nequit. Unde iure merito Alexander VII. damnavit inter alias propositio. 21. adductam super n. 26.

Qui uno die sive culpabiliter, sive inculpabiliter omisit recitare officium, non teneatur alio sequenti die supplere, seu recompensare; *Communis.* Cum enim onus recitandi officium qualibet die sit suæ cuique diei obligatum, transiente illa die, transit, & cessat etiam obligatio recitandi officium illius diei, nec potest eidem altera die satisfieri.

De causis excusantibus à recitatione publica in choro; vide verb. Canonicus art. 4. à numer. 33. ad 40. & verb. Distributiones pro 101. ubi abunde assignatur, quibus absentibus à choro debeantur, vel non, distributiones.

Recitantes in fine horarum canonicarum orationem Sacrosanctæ &c. consequuntur remissionem culparum in recitatione commissurarum, ex concessionem Leonis X. Vide verb. Indulgentia art. 6. n. 11.

Officii divini recitatio imposita est Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, expressa lege Ecclesiæ Occidentalis; Benedicti XIV. tom. 1. constituit. 129. incip. Eo quavis tempore §. 43. Simili consuetudo obtinet in Ecclesiâ Orientali, eamque legis vim habere decretum est. Idem ib. §. 44.

Officiorum divinatorum ratio immutari non debet, ubi celebratio dierum festorum transferretur tantomodo pro commoditate populî; Idem constit. 148. incip. Nuper §. 3. Officia divina in primitiva Ecclesiâ de nocte celebrari consueverunt; Idem constit. 137. incip. Singularem §. 6. Sed ea disciplina deinde fuit utiliter immutata; Idem ib. officia hebdomadæ majoris die sunt celebranda; Idem ib. §. 1. Ad officia, & beneficia urbis doctorum exquirentia, non suffragatur gradus in externa universitate in posterum adeptus; Idem constituit. 106. incip. Inter conspicius §. 29. Officia propria Sanctorum non conceduntur, nisi præcesserit saltem approbatio cultus. Item si non habeatur gesta authentica; Idem tom. 2. const. 29. incip. Jam pridem: In officii divini recitatione pro aliqua morali difficultate dispensanda, commutare potest Major Penitentiarius. Idem tom. 1. constituit. 95. incipient. Pastor bonus, §. 30.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

SUMMARIUM.

- 1 Officium defunctorum non prima, sed secunda die Novembris celebrandum est, iuxta consuetudinem universalis Ecclesiæ.
 - 2 Occurrense festo duplici minori, etiam translato in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, officium faciendum est de Sancto, missa vero celebrande sunt de requie.
 - 3 Idem dicendum est de die defunctorum Ordinis Minorum, & consequenter etiam aliorum Ordinum.
 - 4 Officium, seu matutinum defunctorum die Commemorationis omnium fidelium defunctorum non est recitandum vespere prædie, sed mane ejusdem diei. Vide tamen novissimum decretum.
 - 5 Officium defunctorum, & missa potest cantari in die Dominico, vel festivo, præsentem cadaverem; secus si jam sit sepulchrum.
 - 6 Non potest autem officium, & missa cantari etiam præsentem cadaverem in solemnitatibus primæ classis, nempe Nativitatis D. N. J. C. Epiphaniæ, triduo ante & biduo post Pascha, Ascens. Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Corporis Christi &c. Et in die S. Pasche prohibentur etiam exequiæ, & quodcumque signum Defunitionis. Vide tamen novissimum decretum.
 - 7 Anniversaria, & missæ de requie relicta ex dispositione Testatorum (non autem ad placitum viciorum cantari possunt, etiam si occurrant in duplici majori).
 - 8 Officium, & missa defunctorum cantari potest cum primam habitam fuerit certa noxia de obitu cuiusque Religiosi Ordinis, vel Provincia, etiam in duplici majori; secus vero in festa de precepto.
 - 9 Officium anniversarium, vel sepienarium, vel tricenenarium defunctorum post obitum, si cadat in die Dominico, vel festivo, transferretur ad diem sequentem cum eadem solemnitate.
 - 10 Officium defunctorum ad consequendas Indulgentias in constitutione S. Pii V. concessas, debet recitari prima die cuiuslibet mensis non impleta.
 - 11 Ad officium defunctorum non teneatur etiam in choro illi, qui utuntur Breviario Romano.
 - 12 Teneatur autem ad ipsum in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum.
 - 13 Non utentes Breviario Romano teneatur recitare officium defunctorum secundum suas consuetudines, & peculiare constitutiones.
 - 14 Patres Ordinis Predicatorum teneatur sub mortali semel in hebdomada recitare officium defunctorum, vel in choro, vel privatim.
 - 15 Ad dictum officium non teneatur sub mortali etiam Moniales ejusdem Ordinis.
 - 16 Subnequitur Supplementa Auctoris, ad num. 36.
 - 17 Alia ad rem, remissive.
- Officium defunctorum non prima, sed secunda die Novembris celebrandum est iuxta consuetudinem universalis Ecclesiæ; Sacra Rituum Congregat. in Eglianiens.

- nien. 23. Maji 1603. in respons. ad dubium 3.
- 2 Occurrense festo duplici minori, etiam translato in diem Commemorations omnium fidelium defunctorum, officium faciendum est de Sancto, missæ vero celebrandæ sunt de requiem; Sacra Rit. Congregat. 5. Octobris 1686. Officium enim defunctorum ea die etiam sub ritu duplici celebratur. Sub eodemque ritu celebrabitur pariter officium generalissimum præscriptum in particularibus Rubricis nostri Breviarii Franciscani sub num. 9. pro defunctis fratribus, sororibus, patribus, & matribus, ac benefactoribus, & illis omnibus, qui in nostris Ecclesiis, seu cœmeteriis sunt sepulti; pro quo insimul non erit dies impedita ea, in qua occurrat duplex minus etiam translatus, quia missæ pari ratione dici poterunt de requiem ob Commemorationem amplissimam, quæ ibi adæquata; sic Rubric. particul. nostri Franciscani Breviarii num. 32. Sacra Rit. Congr. 5. Maji 1736. Vide verb. Resolutiones Sacra. Congreg. in indice 1. Decret. Merati num. 683. & alios ibi indicatos.
- 4 Officium, seu matutinum defunctorum in festo omnium Sanctorum post vespæ recitandum non est, sed ipsamet die Commemorations omnium fidelium defunctorum mane recitari debet; Sacra Rit. Congr. sub die 1. Sept. 1607. & 12. Jan. 1701. Vide verb. Resolutiones Sacra. Cong. in indice 2. Decret. Merati n. 160. & 220.
- 5 Ex decreto Sacra. Congregat. Rituum 4. Septembris 1735. privatim potest recitari.
- 5 Officium defunctorum, & missa potest cantari in die Dominico, vel festivo, pro defunctis, quorum corpora sunt adhuc supra terram; secus, si jam sint sepulta; Sacra Rit. Congr. in Egitanien. 23. Maji 1603. in respons. ad dub. & sæpe alibi.
- 6 Non potest autem officium, & missa cantari, etiam presente cadavere, in solemnitatibus primæ classis, nempe Nativitatis D. N. J. C. Epiphaniæ, triduo ante, & biduo post Pascha, Ascension. Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Corporis Christi &c. Et in die S. Paschæ prohibentur etiam exequiæ, & quocumque signum defunctionis, ex decreto Sacra. Cong. Rit. 23. Augusti 1704. & 1714.
- 7 Anniversaria, & missæ de requiem relicta ex dispositione Testatorum (non autem ad placitum vivorum) cantari possunt, etiam occurrant in duplici majori; Sacra Rit. Congreg. 22. Novembris 1664. Officium, & missa defunctorum cantari potest cum primum habita fuerit certa notitia de obitu alicujus Religiosi Ordinis, vel Provinciæ, etiam in duplici majori; secus vero in festo de præcepto, quia tunc differri debet ad aliam diem simili festo non impeditam; Sacra Rituum Congr. 4. Maji 1696. Vide Rubr. particul. Breviarii Franciscani n. 47.
- 8 Officium anniversarium, vel septenarium, seu tricenarium defunctorum post obitum, si cadat in die Dominico, vel festivo, transfertur ad diem sequentem cum eadem solemnitate; Sacra Rit. Congr. in Egitanien. 23. Maji 1603. in respons. ad dub. 5.
- 9 Officium defunctorum ad consequendas Indulgentias in constitutione S. Pii V. concessas debet recitari prima die cujuslibet mensis non impedita festo novem lectionum; Sacra Rituum Congregat. in Egitanien. 6. Sept. 1606.
- 10 Ad officium defunctorum non tenentur etiam in choro illi, qui utuntur Breviario Romano; talem enim obligationem ab eis abstulit S. Pius V. & eis concessit Indulgent. 100. dierum, si illud recitent; sic in sua constitutione incip. Quod à nobis: cujus Summarium habes supra verb. Officium Divinum art. 1. num. 10.
- 11 Tenentur autem ad ipsum officium defunctorum die Commemorations omnium fidelium defunctorum, quia pro tali die est pars officii, & adeoque cadit sub præcepto etiam privatim; Communis.
- 12 Non utentes Breviario Romano, cum S. Pius V. in dict. constitutione ipsos reliquerit propriis consuetudinibus, & constitutionibus, tenentur solum officium defunctorum recitare ad præscriptum earum. Unde in Ordine. Prædicatorum dist. 1. de officio Ecclesiæ cap. 1. fol. 14. col. 3. in fine, adest præceptum recitandi offi-

- cium defunctorum in choro semel in hebdomada, quo fit, ut omnes Religiosi Clerici teneantur illud sub mortali semel in septimana publice in choro recitare, vel privatim, si fuerint impediti choro interesse; sic expressè habet doctissimus P. Donatus ejusdem Præstantissimæ Religionis dignissimus Filius prax. rerum Regular. tom. 4. tract. 18. part. 45. num. 2.
- Ad dictum autem defunctorum officium non tenentur sub mortali Moniales ejusdem præclarissimi Ordinis, ad longum, pluribus adductis, probat Felix Potestas tom. 1. p. 2. à n. 469. ad 487.
- Addenda sunt sequentia decreta, tradita, & scite commendata ab eruditissimo Cavalleri in Agenda defunctorum.
- Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione non debet cantari pridie vespere in festo omnium Sanctorum, sed recitandum est mane die 2. Novembris post laudes diei; Sacra Rit. Congreg. 25. Maji 1603. in Egitanien.
- Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione prohibentur esse cantari pridie vespere in festo omnium Sanctorum; sed recitandum est mane die 2. Novembris post laudes diei; Sacra Rit. Congreg. 1. Sept. 1607.
- Officium defunctorum pro secunda die Novembris potest etiam præsentè Episcopo ante completorium diei festi omnium Sanctorum recitari; Sac. Rit. Congreg. 5. Julii 1698. in Collen.
- Matutinum diei commemorationis omnium fidelium defunctorum non potest recitari in choro in die festivitatibus omnium Sanctorum post completorium, sed servandæ sunt Rubricæ; Sacra Rit. Congr. 22. Januar. 1701. in una Camald. Montis Corona.
- Vespere defunctorum pro prima die mensis dicuntur post vespæ, etiam Dominicæ, vel festi de præcepto, si accidat; Sacra Rit. Congreg. 23. Maji 1601. in Egitanien.
- Officium defunctorum non potest dici in semiduplicibus & officiis novem lectionum, nisi ad effectum dumtaxat satisfaciendi menti testatorum; Sacra Rituum Congr. 12. Julii 1628. in Januensi.
- Officium defunctorum dici potest in choro separatim ab officio diei in diebus exceptis à Breviario pro adimplenda testatorum voluntate; Sac. Rit. Congr. 12. August. 1697. in Tridentina.
- Duplicatio antiphonarum præter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum, & diem depositionis defuncti, fiat in diebus 3. 7. 30. & anniversario; Sacra Rit. Congr. 8. Martii 1738.
- Quando ab aliqua Congregatione dicitur totum officium defunctorum, non debet illud dici ut secunda die Novembris omitto psalmos post vespæ, & matutinum positos in officio defunctorum; Sac. Rit. Congr. 1. Julii 1698. in Collen.
- In officio defunctorum in vespere, & laudibus dicendi semper sunt psalmi appositi De profundis, & Lauda anima mea Dominum, & post vespæ, & laudes omitantur iidem psalmi tantum in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die depositionis defuncti; Sacra Rit. Congr. 23. Junii 1636. in Einsilden.
- Psalmi Lauda anima mea Dominum, & De profundis omitantur in precibus post officium in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die obitus, seu depositionis defuncti dumtaxat, ceteris autem diebus semper, & omnino dicantur; S. R. C. 3. Aug. 1737. in Nolana.
- Hujusmodi decreta in Nolana, & in Einsilden. confirmata fuerunt à S. R. C. die 6. Martii 1738. & in una Eremitarum Ord. Camald., teste P. Merati tom. 2. sect. 9. cap. 2. numer. 5. in fine, & in indice decretor. n. 339. Vide verb. Resolutiones Sacra. Congreg. in indice 2. Merati n. 339.
- Commemoratio omnium fidelium defunctorum non est celebranda, nec facienda in die Dominico, sed transferri debet in seriam secundam sequentem; S. R. C. 24. Sept. 1605. in Augustan.

OPINIO PROBABILIS.

AN opinio recentiorum, ceteris paribus, faciat majorem probabilitatem, quàm antiquiorum opinio; an minus communis opinio, dummodo sit probabilis, possit Episcopis legem prudenter, & rationabiliter agendi, constituere; & an unius opinio, dummodo, sit optima ratione munita, possit communi præferri; vide Leg. Prudentia Episcopalis à Josepho Maria Maraviglia Episcopo Novariensi indicata, atque Innocentio XI. dicatas, Leg. 167. 312. 340.

Verum superioribus annis circa usum opinionis probabilis tria edita sunt decreta: primum ab Episcopo Tridentino alterum à Sacrosanctæ Romanæ, & Univers. Inquisitionis Congregatione: utrumque occasione quarundam thesium, quas publice, licet in ædibus patriarchialibus, concertationi quidam Theologus exposuerat Avisii in Tridentina Diocesi. Tertium denique à Capitulo Generali Mantuano totius Ordinis FF. Minorum sess. 15. habita die 6. Junii 1762. Ut votis aliquorum fieret satis visum est præfata decreta hic adducere: sunt autem tenoris ut sequitur.

DECRETUM I.

Franciscus Felix, Dei gratia Episcopus, & S. R. I. Princeps Tridentini, Marchio Castellari, Sacris Cæsareis Regis Majestatis à Consiliis secretis, ex Comitibus de Albertis de Enno &c.

Perillustribus, Nobilibus, admodum Reverendis, & venerabilibus respectivè Parochis, & Curatis, Nostræ Tridentinæ diocesis salutem in Domino sempiternam.

Dolenti equidem animo percepimus, proxime elapso mense Junio in loco Avisii Tridenti hujusce nostræ diocesis quosdam articulos, quos infra notabilimus, manuscriptos ad disceptandum privatim domi fuisse propositos, ac discussos, ubi nullæ sunt scholæ; quod quidem tunc dissimulandum duximus, minime nescii, privatim ejusmodi exercitationem probo deinde decoro cessisse Auctori, qui ab Oppugnatoribus in verbum ita adductus est, ut causa illum palam cecidisset adstantes omnes facile intellexerint. Cum vero novissime harum thesium exemplar extra hanc diocesis typis editum in manus nostras perveniret, muneris nostri ratio flagitat, ut confestim gliscenti malo nobis eam, ne populus nostræ curæ concredidit nimia opinandi licentia à recta salutis semita deducatur. Noveritis itaque, à nobis articulos, quos infra subijcimus, acervatim sumptos omnino rejici, improbarique, prout harum literarum tenore rejicimus, atque improbamus, prohibentes, ne sub penis Canonice, ac aliis arbitrio nostro iidem articuli acervatim sumpti in disceptationem, usumque deducantur. Officii porro vestri partes in eo esse debent, ut populum cum ex sacro suggestu, tum in Pœnitentiæ tribunali dexterrime eductis, ut ea sequatur dogmata, quibus tum ratio solidior, tum gravior auctoritas suffragatur, quod dum à vobis sanctè observandum confidimus, episcopalem vos benedictionem impertimur. Datum Tridenti ex Arce Nostræ Residentiæ hac die tertia Januarii 1781. Franciscus Felix Episcopus.

Ad mandatum Celsissimi, & Reverendissimi D. D. proprium Presbyt. Joseph Antonius Bertinalli Cancellarius.

Hic recitantur theses damnatæ, quæ legi poterunt in sequenti Decreto.

DECRETUM II.

S. Rom., & Univers. Inquisitionis confirmatum à SS. D. N. Clemente Papa XIII. quo prohibentur theses circa probabilissimum expositæ publice disputationi anno 1760. Avisii in diocesi Tridentina.

- In commemoratione omnium fidelium defunctorum potest fieri officium de festo duplici minori, sed missæ sunt celebrandæ de requiem; Sacra Rit. Congreg. 5. Octobris 1686. in una Urbis.
- Occurrense duplici minori, seu translato in die commemorationis defunctorum, officium faciendum est de Sancto, missæ vero celebrandæ sunt de requiem; Sacra Rit. Congr. 19. Junii 1709. in Curien.
- In die commemorationis omnium defunctorum in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, ubi quotannis occurrit dies octava Dedicationis Ecclesiæ, missæ privatæ dicendæ sunt de requiem, & cantandæ sunt duæ missæ conventuales, una scilicet de die octavæ post tertiam, & altera de requiem post nonam juxta Rubricas. Quando vero dies octavæ incidit in Dominicam, omnes missæ celebrandæ sunt de die octavæ, & commemoratio omnium fidelium defunctorum transferatur in diem sequentem; S. R. C. 17. Sept. 1696. in una S. Germani Montis Cassini.
- Jam in omnibus Congregationibus Ordinis Benedictini post festum omnium Sanctorum 13. Novembris celebratur solemnissimum commemoratio omnium defunctorum confratrum dicti Ordinis; quid si illa die 14. Novembris alicubi adsit festum duplex translatus, aut occurrerit Eritine ejusmodi duplex ulterius transferendum, vel duplex celebrandum, & tamen peragendum cum officio defunctorum, & dicendæ omnes missæ pro defunctis confratribus præter unam de festo? Vel. eritine officium alia die dicendum? Et tunc non amplius in celebrando convenient Monasteria nostri Ordinis. Sacra vero Rituum Congregatio die 1. Maji 1736. respondit: "Commemoratio omnium defunctorum non est transferenda, sed si die illa occurrat festum duplex minus, seu translatus, fiat officium de festo duplici cum missa solemnè post tertiam; officium vero defunctorum recitandum erit post laudes, & omnes missæ privatæ dicentur pro defunctis in paramentis nigris."
- Quando anniversarium seu officium solemne pro animabus omnium defunctorum confratrum alicujus Congregationis fit in festo ritus duplicis minoris, potest cantari missa de requiem; secus si occurrat in festo altioris ritus; S. R. C. 8. Martii 1738.
- In absolute in die commemorationis omnium fidelium defunctorum non est dicenda tota conclusio in oratione; S. Cong. 5. Julii 1698. in Collen.
- Ubi ex dispositione testatorum diebus festivis canendum est in ecclesia responsorium pro defunctis, potest quotidie decantari, exceptis festis 1. & 2. classis, & octavis privilegiatis, nec non tota hebdomada majori; in prædictis autem festis 1. & 2. classis, & octavis privilegiatis, ac majori hebdomada, ne pia testatorum voluntas defraudetur, responsorium prædictum recitetur privatim in choro, absolutis horis canonicis; Sacra Rit. Congr. 8. Julii 1741.
- Alia ad rem, vide verb. Matutinum num. 14., & in tom. 10. decret. S. Rit. Congregationis, quæ consule ex eorum proprio indice.

OMEN.

Vide verb. Superstitio num. 30.

ONYROMANTIA.

Vide ibidem num. 25.

OPINIO.

Vide verb. Conscientia à num. 68. ad num. 114.

Feria V. die 26. Februarii 1761.

Per suas literas ad Congregationem S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, labente superiori anno...

PROBABILISMUS.

Publicæ disputationi Ven. Clero Avisiensi exercitii ingratia expositus contra probabiliorismum strictæ talem...

I.

Probabilismus noster versatur circa hæc tria. Licet sequi probabiliorum pro libertate, relicta minus probabili pro lege.

II.

Usus probabilismi maxime tutus. Usus probabiliorismi maxime periculosus.

III.

Usus genuini probabilismi minime in laxitatem degenerare potest. Usus probabiliorismi strictæ talis in rigorismum excurrere debet.

IV.

Probabilioristas qua tales, qui ex consilio probabiliora sequuntur, laudabilissime operari affirmamus.

V.

Probabilioristas strictæ talibus, qui ex precepto, quod nunquam clare probant, se ipsos, & alios ad probabiliora impellant, merito Rigoristarum noinen imponimus.

VI.

Qui nullatenus ad christianam perfectionem tendere possunt, nisi sequendo probabilissimam.

VII.

Abusus probabiliorismi strictæ talis non solum licentia frangunt, sed licentia calcas est: quod Gallo-rum testimonio comprobamus.

VIII.

Genuinus itaque noster probabilismus, qui nec morum corruptelam inducit, nec à S. Sede unquam ma-

ne fuit notatus, origine sua Thomisticus, progressu ætatis Jesuiticus, utpote à quo arctatus, emendatus, & contra Jansenianos furores propugnatus fuit.

X.

Qui ergo habitat in adjutorio fundatissimi probabilismi, sub protectione plurimorum ex omnibus Orbis Christiani nationibus præstantissimorum Theologorum commorabitur securus.

Ex Historia Critica.

X.

Hinc sine ulla laxismi nota Benignissimum etiam vocamus; sed legitimum, quem suadent utraque lex Cæsarea, & Pontificia; sed Dominicanum, quem illustris Dominicanorum Ordo jam à primis temporibus est amplexus; sed Pium, qui christianam pietatem fovet; sed Thomisticum, quem S. Thomas in amoribus habuit, qui ducentas, & plures opiniones libertati faventes in suis sententiarum libris docet; sed christianum, qui Christo Domino summe familiaris fuit.

O. A. M. D. & V. G.

Pro coronide. Probabilismus noster stans pro libertate, est notabiliter probabilior ipso probabiliorismo stante pro lege.

Cum vero theses hujusmodi notaque Theologicæ expensæ fuerint in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa XIII. Sanctitas sua auditis Eminentissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum à S. Sede Apostolica specialiter deputatorum suffragiis, folium prædictum, & theses in illo expositas prohibendas, ac damnandas censuit, prout presentis decreto damnat, & prohibet tamquam continentis propositiones, quarum aliquæ sunt respectivo falsæ, temerariæ, & piam aurium offensivæ. Illam vero exceptam à numero X. nempe Probabilismum, qui Christo Domino familiaris fuit, proscribendam uti veroneam, & hæresi proximam. Præfatam itaque folium sive theses ut supra scriptas sic damnatas, & prohibitas Sanctissimus Dominus noster vetat, ne quis cujusque status, & conditionis ullo modo sub quocumque pretextu, quovis idiomate imprimere, ac imprimi facere, vel transcribere, aut jam impressum, sive impressas apud se retinere, & legere, sive publicè propugnare audeat, sed illud, vel illas Ordinaris locorum, vel hæreticæ privatis Inquisitoribus tradere, & consignare teneatur sub penis in indice librorum prohibitorum contentis. — Benedictus Veterani Assessor.

DECRETUM.

In Capitulo Generali Mantuano totius Ordinis Fratrum Minorum Sess. XV. habita die 6. Junii 1762. promulgatum.

Cupiens Generale Capitulum ea scandala ab Ordine remove, quæ ex nimia opinandi licentia, in doctrinis præcipue ad mores pertinentibus oriri, & suscitari possent; renovat, & confirmat eas omnes constitutiones, quæ in aliis præcedentibus Generalibus Capitulis de Doctrinis in nostris scholis, & à nostratibus seligendis decreta sunt. Et ad hunc effectum mandat, & præcipit Sacræ Theologiæ Lectoribus, aliisque omnibus, quatenus doctrinas tutiores, & probabiliores semper doceant, & amplectantur.

Hoc autem decretum, datis ad suos subditos encyclicis literis, evulgarunt, & illius observantiam quantum pollebant auctoritate, præceperunt Reverendissimus P. Petrus Joannes de Molina Generalis totius Ordinis FF. Minorum S. Francisci iterato Minister die 4. Oct. 1762.

Ro-

Romæ ex Ara Coeli, nec non Reverendissimus P. Pasqualis à Variis Commissarius Generalis Cismontanus ex Ara Coeli Romæ ad mensem Martium proxime superioris anni 1763.

Porro quanti faciendum sit hujusmodi decretum, vel inde licet arguere, quod à gravissimis Patribus longe amplissimi Ordinis mansit, itaque oppido consentaneum aliis antiquioribus ejusdem Ordinis constitutionibus; neque ullus illi ausus fuerit contraire, sed plenum, ut asserunt, deinceps in Franciscanorum scholis effectam habuerit; acta quoque prædicti Capituli à Summo Pontifice ultimam obtinere roboris firmitatem. * Cetera quæ de Opinione probabili habet Auctor noster P. Ferraris vide verb. Conscientia à numer. 68. ad 114. in tom. II.

ORACULA VIVÆ VOCIS.

SUMMARIUM.

- 1 Oracula vivæ vocis quid sint.
2 Oracula vivæ vocis alia sunt authentica, & alia non, & que sint utraque.
3 Oracula vivæ vocis authentica quomodo recerantur à non authentica.
4 Gratiæ, & privilegia vivæ vocis Oraculo concessa quoad substantiam pro foro interno, sive sint authentica sive non, dummodo non sint revocata, sunt ejusdem valoris, quantum sunt privilegia in scriptis concessa.
5 Ad essentialiam, & substantiam privilegii non requiritur scriptura, sed etiam orotenus, seu vivæ vocis Oraculo concessum subsistit.
6 Ut Oracula vivæ vocis prædicari possint etiam pro foro externo, non sufficit illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut illorum concessio probetur authentico testimonio.
7 Omnia, & singula indulta, & privilegia quibuscumque vivæ vocis Oraculo concessa à Summis Pontificibus ante Gregorium XV. (exceptis concessis ad supplicationem Regum, nec non illis manu Cardinalium firmatis) revocavit pro utroque foro dicitur Gregorius XV. & adducitur constitutio.
8 Postea autem Urbanus VIII. revocavit etiam omnia & singula indulta, & privilegia vivæ vocis Oraculo concessa etiam ad instantiam Imperatoris, & Regum & manu quorumcumque Cardinalium firmata: & adducitur constitutio.
9 Deinde idem Urbanus VIII. iustis de causis declaravit prædictam suam revocationem non comprehendere illos Officiales, seu Ministros, quibus rationem suorum Officiorum, seu munerum Summi Pontificis Oraculi fides haberi solet, & debet. Et adducitur constitutio.
10 Hinc omnia privilegia vivæ vocis Oraculo à quocumque Pontifice concessa, & testificata per Officiales, quibus vi sui officii de privilegiis, & gratiis per Pontifices orotenus concessis, vel concedendis, fides adhiberi solet, adhuc impræsentiarum valent pro utroque foro.
11 Officiales, seu Ministri prædicti qui sint.
12 Inter Officiales, seu Ministros præfatos computantur, & revera sunt Cardinales illi, qui ad id à Papa deputantur, vel Profectores Ordinum existunt.
13 Hinc plurima adhuc impræsentiarum valent privilegia vivæ vocis Oraculo concessa, utpote debite authenticata ab illis ex prædictis Officialibus, vel S. R. E. Cardinalibus, & qualia sint ista privilegia.
14 Unde saltem pro foro interno valent adhuc hodie privilegia vivæ vocis Oraculo concessa ante tempora, vel tempore Leonis X.
15 Item eadem ratione adhuc hodie valent pro foro cons-

cientiæ privilegia vivæ vocis Oraculo concessa ante tempora, vel tempore S. Pii V.

16 Adducitur, & solvitur instantia ex constitutione Gregorii XIII.

17 Item adhuc hodie valent pro foro conscientie privilegia vivæ vocis Oraculo concessa ante tempora, vel tempore Clementis VIII. dummodo non adveniant Concilio Tridentino.

18 Item valent adhuc hodie omnia vivæ vocis Oraculo concessa post Gregorium XV. & Urbanum VIII. concessa.

19 Ut autem vivæ vocis Oraculo post Urbanum VIII. concessa valeant pro foro interno, quid requiratur.

20 Apponitur constitutio Clementis XII. ad rem, quorundam revocatoria.

et Additiones inseruntur.

ORACULA vivæ vocis sunt concessiones privilegiorum, seu gratiæ factæ à Supremo Principe v. g. Summo Pontifice sola voce, seu Ore tenus sine Scriptura; Ita in re Communis; Oracula vivæ vocis alia authentica, & alia non. Oracula authentica sunt illa, quæ ne memoria periant, & ut etiam pro foro externo probari, & practitari possint, subinde in scripturam rediguntur, & testimonio authentico ab illis, quibus ex officio incumbit, fide digna redduntur. Oracula autem non authentica sunt illa, quæ vel neglectu imperantium, vel alia de causa non sunt tali forma in scripturam redacta; Communis. Hinc Oracula vivæ vocis authentica, ut secretantur à non authenticis, solent in collectionibus privilegiorum, & Oraculorum vivæ vocis distincto, & diverso signo notari, ut patet in compendio privilegiorum Fratrum Minorum; ubi Oracula vivæ vocis authentica signantur O magno, & non authentica O parvo, ut testantur Auctores ipsius Compendii. Ad Lectorem in declaratione Abbreviaturarum Allegationum.

Gratiæ, & privilegia vivæ vocis Oraculo concessa quoad substantiam pro foro interno; sive sint authentica, sive nondum non sint revocata, sunt ejusdem valoris, quantum sunt privilegia in scriptis concessa; Communis, textu expresso in cap. Institutionis 7. caus. 25. quest. 2. Et sic expresse concessit nostro Ordini Leo X. ut habetur in compendio privilegiorum. Fr. Minorum verb. Oracula vivæ vocis num. 2. ibi: Idem Leo concessit, quod non sint minoris effectus, & valoris vivæ vocis Oracula, quam si per Bullam, aut Breve ad perpetuam rei memoriam essent concessa. Ad essentialiam enim, & substantiam privilegii non requiritur scriptura, sed etiam ore tenus, seu vivæ vocis Oraculo concessum subsistit Communis, argum. cap. Si quis cum Clerico 5. caus. 11. quest. 1. & citat. cap. Institutionis 7. caus. 25. q. 2. Clement. Dudum, de Sepulturis, & Extravagant. Eius Dominici, de Penitent. & remissioni. ibi: Considerans, quod plerumque contingit, quam Sanctitatem hujusmodi facultates etiam Oraculo vivæ vocis concedere &c.

Notanter autem supra num. 4. dicitur: Pro foro interno, quia Oracula vivæ vocis, ut practitari possint etiam pro foro externo, non sufficit illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut illorum concessio probetur authentico testimonio, ut patet ex constitutione Julii II. incip. Romani Pontificis, & ex Regula 52. Cancellariæ. Et ratio est, quia, si sine testimonio authentico valeret etiam pro foro externo, posset quilibet asserere se habere privilegium vivæ vocis Oraculo concessum, & sic pretextu Oraculi vivæ vocis posset cum maxima perturbatione boni communis eludere leges, & canones in foro externo, quod nemo sanæ mentis audebit admittere; Communis.

Omnia, & singula indulta, & privilegia quibuscumque que vivæ vocis Oraculo concessa à Summis Pontificibus ante Gregorium XV. (exceptis concessis ad supplicationem Regum, nec non illis manu Cardinalium firmatis) revocavit pro utroque foro, scilicet, tam pro foro interno, quam pro foro externo, dicitur Gregorius XV. die 2. Julii 1622. constitut. incip. Romanus Pontifex: quæ ad ubertorem legentium notitiam hic ad litteram datur.

GRE-